QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIV. MENSIS DECEMB. MAGISTRO ANTONIO ROBIN DOCTORE MEDICO MODERATORE.

645

An Febribus purpuratis sudorifica?

FEBRIS licèt frequens, grauissimum tamen morbi genus, toti corpori, omni ætati, temperamento, ac regioni commune, rectè dicitur Calor præter naturam, in corde primò accensus, ab eo in totũ corpus effusus, omnes functiones lædens: Hic non alius à natiuo, tamen siccus est, modò spiritibus, modò humoribus, modò solidis partibus infixus; vnde triplex febris species: Hectica ardente intensior, quæ in solidis partibus febrium omnium subiecto collocata; Etsi sæpiùs Ephemeris & humoralibus succedat, nihilominùs potest primò & immediatè inuadere; annotatione incompressa eius signo pathognomonico iudicãda: Ephemera in spiritu vitali accenso cõsistens, omnium leuissima & breuissima, quandóque pestilens citissimè iugulans, eodem spiritu putrefacto: Humoralis sedem habens in humoribus, qui solùm accensi continuam febrem συνόχον pariunt, putrefacti συνεχῆ dictam, essentialem aut symptomaticam, háncque φλεγμονώδη vel τυφώδη, si humor in vasis maioribus putrefiat. Intermittentem in Tertianam, Quotidianam & Quartanam distinctam, si in minoribus & corporis habitu. In quarum plerísque febrium differentiis, Natura quod sibi molestum est expellere tentans varias moliri solet excretiones, quandóque hæmorrhagiam, aliàs sudorem vel diarrhœam; quos omnes motus, naturæ morborum medicatricis, medicus imitator sequi debet; alioqui natura variè commouetur, vires frustrà deiiciuntur, æger in vitæ discrimen adducitur.

SIc sanguinis è quacumque parte vacuatio venæ sectione; vomitus purgatione per superiora opus esse declarat; in febre humorali, quæ κατ' ἐξοχὴν putrida nuncupata, Ephemerâ grauior est, Hecticâ securior; In ea humores putridi nullis coquentibus medicamentis pristinæ naturæ restituuntur. Quid ita? Putredo naturalis mixtorum omnium, etiam elementorum, excepto igne, corruptio, vnica est, singula putrescentia ad elementa vsque resoluens, definienda, proprij & innati caloris in vnoquoque humido existentis, ab externa ambientis aëris caliditate corruptio; Quam ab vstione, vnico altero corruptionis modo, distinctam, magna paruis, mota quietis, frigore concreta non congelatis difficiliùs contrahunt. Inter cætera corpus nostrum constituentia, humores facillimè, non tamen necessariò prohibitâ difflatione; nè quis febris putridæ curationem ab obstructione tollenda semper ordiendam esse credat: Cæterùm putredo febribus ferè omnibus adiuncta, pro causæ pùtrefacientis magnitudine, magnam latitudinem obtinet: vulgaris, febres simpliciter putridas minùs periculosas concitat: Insignis, veneni naturam sapiens, citrà occultam aliam qualitatem, determinatum astrorum aspectum vel concursum, pestilentes, à peste, nunquam febris experte, nullâ ratione distinctas.

HÆ febres pestilentes semper putridæ vt in vulgus grassantur, ità communem causam sortiuntur; eámque aut aërem, ex infectis paludibus, lacubus, antris, specubus, animantium cadaueribus, eorum excrementis, tetrísque aliis exspirationibus; vel inæquali constitutione, præcipuè austrinâ pluuiarum experte inquinatum; aut prauam victus rationem, quâ spiritus & humores putridorum alimentorum esu corrupti, veneni vires acquirunt. Ab his etsi differant malignæ, non tamen purpuratæ, veteribus non incognitæ: In quibus natura ad cutim, vniuersale corporis emunctorium, solet venenosi humoris partem propellere; sic enim à stigmatis rubeísque maculis puncturis pulicum similibus in cute erumpentibus suum nomen deprompsere; peracutæ quidem, malignæ, contagiosæ, epidemicæ, vt plurimùm καυσώδεις, vitalem cordis facultatem suâ venenata pernicie oppugnantes, sæpiùs expugnantes; nimirùm natura pessimum virus modò per carbunculum, modò per bubonem, longè tutiùs per ἐξανθήματα seu ἐκθύματα excernit, præsertim si die critico foràs erumpant, si purpurea ac multa; alioqui si pauca sint, si liuida & valdè punicea, si ægrè erumpant, vel delitescant, mors in procinctu. Febres hæ initiò mites & placidæ, suæ mox produnt signa malignitatis; vlcerosam membrorum lassitudinem pariunt, capitis grauitatem, oculorum ruborem, surditatem modò salutarem, modò noxiam, quandóque somnum profundum, faucium oppressionem: Pulsus rarus est, humilis & occultus, vrina tenuis, déinde crassa & confusa, egestiones alui fœtidæ, biliosæ, non sine vitæ periculo morbi initiò fluidæ, sitis nulla vel exigua, lumbrici quamuis ex putrefactis non geniti excernuntur; denique grauis halitus semper putredinis comes, non tamen index, ab vniuerso corpore exspirat.

ITAQVE ad cutim virulenti humores purpuratarum febrium materia euocandi, admotis scapulis & femoribus cucurbitulis, hirudinibus, calidis & molliusculis frictionibus, extremarum partium ligaturis. An phlebotomia celebranda? Valeant qui purpureis hisce maculis apparentibus in plethoricis, vrgente febrili intemperie, ætate florida ac viribus consentientibus tàm insigne remedium dehortantur; quod quidem naturam parte oneris leuat, meliorem corporis transpirationem reddit, incendium minuit, causam nouæ putredinis arcet, nec virus retrahendo internas ac nobiles partes contaminat; Quod damnum præstat purgatio, siue per aluum siue per vomitum instituatur; ideóque damnanda papulis emergentibus, licèt leuiora vsurpentur medicamenta. Contrà satis laudari nequeunt vesicatoria malignis affectibus proficua, quæ suo calore & dolore, humores deleterios ad cutim omnium corporis partium imbecillimam attrahunt; plura vel pauciora pro affectus magnitudine adhibenda, præstat enim prodesse quàm placere, & gratia fugienda per quam concordia perit.

OMNE ferunt punctum sudorifica, non ea quidem exotica vehementiora, vt Guaiacum, sassafras, sarsaparilla, veneris calcitratu oblæsis relinquenda; sed mitiora parata ex decocto radicum asparagi, apij, graminis, fœniculi,, feminum cardui, fœniculi, foliorum betonicæ, verbenæ, calendulæ, hyperici, ficuum, additis passulis & liquiritia, & syrupo acetoso, quibus virulenta pernicies exspirabit: Idem præstabit vt theriaca vetus venenatis affectibus præsens alexipharmacum: lapidem Bezoardicum non reiicerem, nisi vt plurimùm adulteratus haberetur: sudores quoque mouebunt fomenta calida, vaporationes ex decocto emolliente & aperiente, inunctiones ex butyro recenti, quandóque balneum aquæ dulcis. Intereà clysteribus ac iulapiis refrigerantibus calor febrilis extinguetur, Alexiteriis morbi cacoethia domabitur, cordis virulento humore obsiti robur seruabitur, tùm medicamentis cardiacis sumptis potiùs quàm admotis, cùm optimâ victus ratione ex εὐχύμοις & εὐπέπτοις alimentis, vini abstinentiâ, somno mediocri, procul amotis timore & tristitia; siquidem maligni affectus sæpiùs æquè efficaci imaginatione & metu quàm contagio serpunt; nè medicamentorum sudores mouentium debellandis his febribus vtilium beneficium, maiori prauæ viuendi legis maleficio destruatur.

Ergo Febribus purpuratis sudorifica. 92

Propugnabat Lutetiæ FRANCISCVS MALLET LOCOVERIENSIS, Anno R. S. H. M. DC. XXIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. FRANCISCVS BOVIONNIER. M. R.
M. IOANNES BERAVLT.
M. FRANCISCVS MANDAT.

M. FRANCISCVS QVIQVEBEVF.
M. CLAVDIVS LIENARD.
M. REGNATVS MOREAV.

M. SIMON BAZIN.
M. NICOLAVS PIETRE.
M. IACOBVS COVSINOT.